

[198r]

**Richardus  
per Magnam Matrem Gratiarum  
a morte aeterna vindicatus,**

hodie pro theatro propositus  
ab Illustrissima, Perillustri, Praenobili ac Ingenua  
rudimentorum juventute  
in academico Soc. Jesu gymnasio Pragae ad S. Ignatium  
an. 1735, mense ..., die ...

**ARGUMENTUM**

Richardum, adolescentem Flandrum, omnem vitae pessimae licentiam ex congerro-  
nis (nobis Liberti) consilio secutum, Orcus apud Judicem Supremum, uti et Liber-  
tum, scelerum poenaeque aeternae reum fieri voluit. Contra quos, dum Judicem ad  
sententiam commeritam ferendam Orcamus flectere adlaborabat, illud evicit, quod  
Liberto poenis aeternis aequissime adjudicato, Richardus ob pensum, quod indies  
Matri Gratiarum solvere in more habebat, eadem die, semisopita esto lingua, perso-  
lum, interventu Virginis Aliae et Advocatae factae a Judice immunis sit enuncia-  
tus. P. Joannes Nadasi SJ in Anno aeternitatis hebdomade 32.<sup>a</sup>

**PROLUSIO**

Orco Nemesim contra Juventutem legum praevaricatricem incitare adlaborante,  
Misericordia eundem repellit et rejici facit.

**INDUCTIO I.**

Dum Richardus Theorgi institutoris monita salutaria rejicit seque a domo ac disci-  
plina subducit, Orcamus de nova sibi praeda obventura plaudit.

**INDUCTIO II.**

Libertus, congerronum corryphaeus, genio suo amplius indulgens, eisdem vitae de-  
pravatae pessima suggerit principia illudque: *Quod libet, licet*, in regulam transcritbit.

**INDUCTIO III.**

Richardum de reditu ad Theorgum deliberantem Orcamus in suas pertrahere partes  
in vanum adlaborat.

---

**Inductio I.** ac] ad R.

---

<sup>a</sup> Nadasi: *Annus hebdomadarum coelestium*, s. 706–707.

**INDUCTIO IV.**

Theorgus, in Richardi solito longiorem a domo absentiam inquirens, Evaristi, Richardi amicioris corrivalis, curam pro eodem reducendo requirit.

**INDUCTIO V.**

Orcami cum Liberto de Richardo ad vitae licentiam pertrahendo operaे.

**INDUCTIO VI.**

Richardus, adhuc dubius de reditu suo atque extra urbem errans, vicinam Magnae Matri Gratiarum aediculam devotam subintrat ibidemque devotioni vacat, super quo facto frendet Orcamus.

**CHORUS**

Pietati, a Morpho Libitinae falci expositae, Amor Parthenius corolla precatoria succurrit periculoque eandem eximit.

**INDUCTIO VII.**

Libertus hortatu Orcami pro devincendo sibi Richardo Gulonis exigit irritamenta.

**INDUCTIO VIII.**

Evaristus Richardo reditum suadet atque ad hunc quantocytus hortatur, ast differre hunc facit Libertus, pessimisque principiis eundem imbuens, ad partes suas pertrahit.

**INDUCTIO IX.**

Conscius hujus, Theorgus sorti sua et Richardi indolet Matrique Gratiarum clientem suum commendat.

**INDUCTIO X.**

Richardus inter Gulonis apposita irritamenta Liberti pessima combibit principia diemque inter haec transigit. Memor subinde pensi Mariani sive corollae precatoriae nondum persolutae, reditum domum clam maturat corollamque precatoriam, lingua esto semisopita, persolvit.

**INDUCTIO XI.**

Orcamus apud Nemesim contra Libertum et Richardum causam agit et e vivis utriusque exturbandi decretoriā vult evincere sententiam. Quam dum contra Libertum impetrat, adversus Richardum, interventu Magnae Matris Gratiarum, factae apud Nemesim Advocatae ob corollam precatoriam, esto semisopita lingua persolutam, nequaquam evincit.

**INDUCTIO XII.**

Congerrones hilaria sua pessima prolongaturi Richardi et Liberti requirunt praesentiam. Hunc dum subitanea morte sublatum, illum vero domum clam repetiisse in comperto habent, gaudia in luctum commutant.

**INDUCTIO XIII.**

Libertus in forma horrifica monstri sese spectabilem facit Richardo, somno vinoque sepultum excitat eumque sorti pari infelici obnoxium fuisse edocet, ni ope Magnae Matris Gratiarum et Advocatae apud Nemesim factae liberatus fuisset. Inde major in Richardo erga Matrem Divinissimam pietas et vitae emendatio oritur.

**EPILOGUS**

Illud D. Bernardi sermo[nis] De Nativitate B. V. Mariae. De aqueductu de Magna Matre Gratiarum extollit: *Si quid spei, si quid gratiae, si quid salutis in nobis est, ab ea noverimus redundare.*<sup>b</sup>

A. M. D. G.

---

<sup>b</sup> De Clairvaux, Bernard: *Sancti Bernardi Claraevallensis opera omnia*, <http://www.binetti.ru/bernardus/70.shtml> (cit. 23. 5. 2015).